

et B. Virginem nullum intercessit pactum de danda illi divina maternitate.

Resp. 2. Meruit de congruo divinam maternitatem.

1. Quia talis est sensus Ecclesiae, quae sic congratulatur B. Virgini, *quia quem meruisti portare, resurrexit, &c.* 2. Quia ita sentiunt Patres. D. Hieron. Epist. 17. ad Eustochium. *Propono tibi B. Virginem, quae tantae exitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* D. August. lib. de nat. et grat. cap. 36: *Concipere meruit et parere eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Objicies 1. Gratiae singulares, quibus cumulata fuit B. Virgo, ei concessae sunt intuitu maternitatis divinae; ergo, cum illae gratiae ei omnino gratis concessae fuerint, gratuita quoque debuit esse maternitas divina.

Resp. Dist. ant. Intuitu maternitatis decernendae propter merita, ad quae disponderetur per illas gratias, *conc.* intuitu maternitatis jam decretae absolute, *nego ant.* Equidem B. Virgo, a primo instanti suae conceptionis, eximiiis gratis et privilegiis fuit praeventa, quibus correspondens, non solum fuit condigne disposita, ut esset Mater Dei, sed etiam meruit de congruo divinam illi maternitatem.

Objicies 2. Omnia merita B. Virginis fundata fuere in hoc numero Christo, ex hac numero matre genito; ergo merita B. Virginis non praecesserunt maternitatem, quae consequenter non cecidit sub meritum.

Resp. Dist. ant. Fundata fuere in Christo in hac numero matre genito, *specificative*, id est, qui genitus est hac matre, *conc.* ex hac numero matre genito *re duplicative*, id est, quatenus ex hac matre genitus est, *nego ant.* Nam licet nulla B. Virginis merita fuerint, nisi ex illo, qui est filius hujus matris, tamen non fuerunt ex illo, quatenus fuit filius hujus matris. Quod enim Christus ex hac numero matre natus sit, non fuit circumstantia necessaria ad merendum; prius enim Christus cogi-

tatur nasciturus ex aliqua matre, quam ex hac numero matre.

CAPUT V.

De quidditate Incarnationis.

A genus 1. De persona assumente, et natura a Verbo assumpta; 2. De utriusque unione hypostatica.

QUESTIO I.

De persona assumente et natura assumpta.

Quaeres 1. *Quaenam persona divina assumpsit naturam humanam?*

Resp. Sola persona Filii: nam Joan. 1. de persona Filii dicitur: *Verbum caro factum est.* Quod nullibi de Patre aut Spiritu Sancto dicitur. Unde Christus se minorem Patre dicit; scilicet, ratione humanitatis assumptae.

Hinc excluditur error Sabellianorum, qui negantes realem personarum distinctionem, docebant Verbum non potuisse incarnari, quin Pater et Spiritus Sanctus incarnarentur: unde *Patripassiani* dicti sunt.

Objicies. Una persona non potest videri intuitive absque altera; ergo non incarnari.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod essentia divina, quae est primum visionis intuitivae objectum, identificetur tribus personis, et consequenter non possit sine illis videri intuitive; e contra tres personae a se invicem realiter distinguuntur, ac proinde terminatio humanitatis, quae est effectus relativus, potest prodire ab una persona, absque eo quod prodeat ab aliis.

Quaeres 2. *Utrum Verbum assumpserit verum et reale corpus?*

Resp. affirm. Nam 1. Scripturae verum Corpus Chri-

sto tribuunt: Joan. 1. *Verbum caro factum est.* Lucae ult. Christus, post resurrectionem, suum Corpus discipulis palpandum obtulit. . . . 2. Christus est verus homo, Joan. 8. *Quaeritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis.* Ex Conc. Nicaeno I. *Incar-natus est, et homo factus est.* . . . 3. Ecclesia damnavit Simonem magum, Menandrum, Saturninum, Marcionem, &c. quod contenderent, Christi Corpus non fuisse verum, sed apparens tantum et phantasticum.

Objicies 1. Christus, *Philip.* 2. dicitur: *In similitudinem hominum factus.* Ergo non habuit veram carnem, sed apparentem et phantasticam.

Resp. dist. ant. In similitudinem hominum, quoad statum peccati, in quo sunt homines, *conc.* scilicet, ut ait idem Apostolus, Rom. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Quoad substantiam, *nego ant.* Est enim verus homo, unde additur: *Factus est obediens usque ad mortem,* homo vero nisi verum Corpus habeat, non moritur.

Objicies 2. Apostolus, 2. *Cor.* 5. dicit: *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus;* ergo Christus non habet veram carnem.

Resp. nego conseq. Alias sequeretur nullum hominem habere veram carnem, cum Apostolus dicat *Neminem novimus secundum carnem.* Sensus ergo est, licet olim pluris fecerimus Christum haberet pro consanguineo, nunc mortui veteris vitae affectibus, angustius de eo sentimus, nec amplius eum novimus *secundum carnem,* sed *secundum spiritum,* ut auctorem gratiae et salutis, qualem cum toto orbe praedicamus.

Quaeres 3. *Utrum Corpus Christi fuerit terrenum, an vero coeleste?*

Resp. Fuit terrenum, ut Ecclesia definit contra Valentinum, Apollinarem et Apellem: ratio est, quia natus est de Maria Virgine, Matth. 10. *de qua natus est Jesus.*

Objicies. Apostolus, 1. *Cor.* 15. Christum Adamo opponens, ait: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo, coelestis;* ergo Christus habuit corpus coeleste.

Resp. Nego conseq. Christus non dicitur coelestis, quod habuerit Corpus coeleste; sed quod substituerit subsistentia Verbi divini.

Quaeres 4. *Utrum Verbum immediate assumpserit dentes, ungues, capillos, tres humores, et maxime sanguinem?*

Resp. affirm. Nam immediate assumpsit quicquid ad naturae humanae perfectionem et integritatem pertinet; atqui dentes, ungues, et capilli, ad naturae humanae perfectionem et ornatum pertinent; tres vero humores, et maxime sanguis ad ejusdem integritatem spectant; ergo.

Quaeres 5. *Utrum Verbum assumpsit veram animam humanam?*

Resp. affirm. Nam 1. Christus, Joan. 10. ait: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam,* in resurrectione. . . . 2. Damnati sunt Ariani, quod vellent Verbum carnem assumpsisse absque anima, cujus vices obibat ipsummet Verbum. . . . 3. Christus est verus homo; ergo animam rationalem habuit.

Quaeres 6. *Utrum anima Christi fuerit mente praedita?*

Resp. affirm. Estque de fide contra Apollinarem: unde S. Fulgentius, *de fide ad Petrum, cap.* 24. dicit: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem; et animam rationalem.* Ratio est, quia in Christo fuerunt passionem humanae; atqui illae passionem nihil aliud sunt, quam affectiones animae rationalis cum ex perceptione boni praesentis, vel mali imminenti orientur; ergo.

Objicies. Mens humana est imago Verbi; ergo haec Verbo praesente, evanescere debet.

Resp. Dist. ant. Est imago Verbi a Verbo perficiens.

da, *conc.* supplens vicem Verbi, *nego ant.* Equidem imago rei, supplens illius vicem, evanescit re praesente; sed non evanescit, si a re, cujus est imago, sit perficienda: sic imago hominis in speculo, quia perficitur ab homine, non evanescit eo praesente, imo resultat ex ejus praesentia.

Quaeres 7. *Utrum Verbum assumpserit voluntatem humanam?*

Resp. Assumpsit: unde in Christo sunt duae voluntates, duaeque operationes, divina nimirum et humana. Nam 1. Christus ipse suam humanam voluntatem a Patris, et consequenter Verbi, voluntate distinxit, Lucae 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Supra quae verba S. Athanas. *lib. de Incarnatione*, dicit: *Cum autem: non mea voluntas; sed tua fiat. . . . duas voluntates ibi ostendit, alteram humanam, quae est carnis; alteram divinam quae Dei est. . . .* 2. Monothelitae in IV. Synodo, tanquam haeretici damnati sunt, quod unam, (Verbi nimirum) in Christo voluntatem fuisse contenderent; definitumque est: *Uti duas naturas accepimus, ita et duas naturales voluntates, et naturales ipsius operationes agnoscimus.*

Objicies. 1. D. Dionysius *lib. de divinis nominibus*, docet: *Unam esse in Christo Dei virilem operationem: ergo.*

Resp. 1. *Nego ant.* Nam in textu legitimo, legitur, *novam operationem*, pro quo Monothelitae substituerunt haec verba, *Unam operationem*, ut ipsis exprobrat Martinus Papa I. in Concil. Lateranensi consultatione tertia.

Resp. 2. *Dist. conseq.* Est una operatio in Christo mixta, *conc.* simplex, *nego conseq.* Itaque triplex fuit genus actionum Christi, scilicet, pure divinae, purae humanae, et mixtae. . . . pure divinae, sunt eae quae a Christo emanant, ut Deus est, id est, absque ullo ad humanam naturam respectu, ut sunt rerum conservatio, sanatio infirmi a Christo absente. *Pure, humanae*, sunt

eae quae naturae humanae sunt propriae, ut edere, flere, velle, intelligere, &c. *Mixtae*, sunt eae quae ab utraque natura prodierunt, v. g. dum Christus suo contactu curabat aegrotos: in ea quippe curatione agebat utraque natura, divina nempe per suam omnipotentiam, et humana per suum contactum. Haec non est simplex, sed duplex operatio, divina nempe et humana, quae licet non sint divisae, sunt tamen realiter a se invicem distinctae. Porro haec mixta operatio a Graecis vocatur *Theandrica*, et a Latinis *Dei virilis*, id est, Dei hominis operatio.

Objicies 2. Actiones sunt suppositorum; atqui in Christo unicum est suppositum; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Sunt suppositorum, denominative, *conc.* elicitive, *nego maj.* Itaque sola natura est principium elicitive actionum, unde earum unitas, vel multiplicitas desumitur ab unitate, vel multiplicitate naturae, non vero ab unitate vel multiplicitate suppositi.

Quaeres 8. *Utrum Verbum assumpserit omnes corporis humani defectus communes?* v. g. famem, sitim, corruptibilitatem, mortem, &c.

Resp. affirm. Nam, *Esurit*, Matth. 4. *fatigatus est itinere, sedit*, Joan. 4. *Flevit super Jerusalem*, Lucae 19. *Crucifixus est ex infirmitate*, 2. Cor. 13. unde Cone. Ephes. Anathematismo 12. definit: *Si quis non confiteatur Dei Verbum carne passum et crucifixum, mortemque gustasse, anathema sit.* Hinc damnatur error Juliani Halicarnensis, qui asserebat carnem Christi fuisse incorruptibilem et impassibilem.

Objicies. Psalm. 25. *David praedixit carnem Christi fore incorruptibilem; non dabis Sanctum tuum corruptionem.* Ergo.

Resp. Dist. ant. Post ejus mortem, *conc.* ante ejus mortem, *nego ant.* David ergo loquitur de corruptione putredinis quam non sensit caro Christi; non vero de corruptione alterationis et mortis.

Inst. Illi defectus et dolores sunt poenae peccati; at qui nullum fuit in Christo peccatum.

Resp. Dist. ant. Sunt poenae peccati proprii, vel alieni, *conc.* proprii semper, *nego ant.* In Christo ergo fuerunt poenae peccati alieni, nempe hominis, pro quo se vadem ac sponsorem dedit.

Objicies 2. Visio beatifica excludit omnem dolorem sensibilem; atqui, &c.

Resp. Dist. maj. Si non impediatur ne animae felicitas in corpus et inferiores potentias resiliat, *conc.* si impediatur, *nego maj.* Hoc autem Deus impedivit in Christo.

Quaeres 9. *Utrum Verbum assumpserit defectus corporis humani particulares?* v. g. morbos, deformitatem, &c.

Resp. negat. Nam illi defectus proveniunt ex triplici veluti radice: 1. Ex culpa; puta intemperantia. 2. Ex aeris intemperie. 3. Ex defectu virtutis formatricis. Atqui ex nulla harum radice evenire potuerunt in Christo: 1. *Non ex culpa*, nam fuit impeccabilis; 2. *Non ex aeris intemperie*, nam optimi fuit temperamenti, unde facillime potuit inclementiae aeris resistere. 3. *Non ex defectu virtutis formatricis*; nam corpus ejus formatum est de Spiritu Sancto, cujus virtus deficere non potest.

Objicies. Isaiae 53. de Christo dicitur: *Non est species ei, neque decor.*

Resp. Isaías loquitur de Christo pendente in patibulo, non autem ante passionem, ut interpretatur D. Hieron. in hunc locum.

Quaeres 10. *Utrum peccatum fuerit in Christo?*

Resp. negat. Juxta illud ad Hebr. 4. *Habemus Pontificem tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato.* Et illud 1. Petri 2. *Christus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Objicies. Christus, Psalm. 21. ait: *Longe a salute*

mea verba delictorum meorum. Apost. 2. Cor. 5. de Christo, dicit: *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit; ergo.*

Resp. ad. 1. Quod Christus peccata nostra vocat sua, qui debitum satisfaciendi pro illis in se suscepit. . . . *Ad 2.* peccatum ibi sumitur pro hostia, seu victima pro peccato, quo sensu Oseas, cap. 4. *de sacerdotibus*, ait: *Peccata populi mei*, id est, hostias pro peccatis oblatas, comedent.

Quaeres 11. *Utrum humanitas Christi, seu Christus ut homo, fuerit impeccabilis?*

Resp. affirm. Nam Lucae 1. dicitur: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* . . . 2. Id expresse asserit D. August. lib. 2. De peccat. meritis, cap. 11. *In cujus, non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum.* . . . 3. Potentia peccandi tribui posset Verbo tanquam principio *quod*: nempe denominationes tribuuntur supposito tanquam principio *quod*, sic Verbo propter unionem cum natura humana, mors, fames, &c. tribuuntur; atqui id impium est; ergo, &c.

Objicies. Christum potuisse mori non repugnat; ergo nec repugnat eum potuisse peccare: non enim Deus minus est vivens per essentiam, quam sanctus per essentiam.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod mors sit malum poenae, cujus Deus auctor esse potest: quare nihil impedit, quominus, per idiomatum communicationem, Deus, in natura creata subsistens, dicatur mortuus; e contra peccatum est malum culpae, cujus Deus nec directe, nec indirecte auctor esse potest: ac proinde peccatum magis repugnat sanctitati per essentiam, quam mors repugnet vitae per essentiam in aliena natura subsistenti.

Quaeres 12. *Unde repeti debeat impotentia peccandi in Christo?*

Resp. Repetenda est praecise ex hypostatica naturae humanae cum Verbo unione. Nam 1. Est communis contra Durandum, Gabrielem, et Scotum, qui eam repetunt ex visione beatifica, gratia justificante, et singulari Dei protectione, quae si a Christo separata fuissent, inquit, peccare potuissent. . . . 2. Quia est sententia Patrum: S. Athanas. *Serm. 2. contra Apollinarem*, de Christo dicit, quod sit *sanctus natura sua, et immutabilis ad malum*. Atqui natura Christi consistit in unione hypostatica humanitatis cum Verbo; ergo. D. Ambros. *lib. De incarnat. cap. 7.* dicit: *Anima Christi est incapax peccati, quia per unionem facta est impeccabilis*. . . . 3. Quia si humanitas Verbo unita posset peccare, ipsum Verbum posset peccare, non solum denominative, sed etiam formaliter: nam quando plures naturae in idem suppositum conveniunt, tenetur superior, saltem si commode possit, regere inferiorem, et impedire ne peccet, alioquin peccatum ipsi imputatur; atqui natura divina et humana in idem Christi suppositum conveniunt; ergo, &c.

Objicies 1. In Deum nulla cadit obligatio; ergo non tenetur gubernare naturam humanam a se assumptam.

Resp. Dist. ant. Nulla cadit obligatio ex aliqua lege superioris, *conc.* ex rectitudine divinae voluntatis, *nego ant.* Sic Deus tenetur non mentiri, quia tenetur ad nihil faciendum suae sapientiae et sanctitati repugnans, ad idque ex suis intrinsecis determinatur ac necessitatur.

Objicies 2. Per actiones naturae assumptae honestas, Verbum secundum se, non meruit; ergo a pari non peccaret per ejusdem actiones inhonestas.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quod Verbum secundum se, actiones honestas naturae assumptae non obtulit alteri a se tanquam superiori, a quo possit praemium accipere, quod antecederet non sit suum, quod tamen essentialiter requiritur ad rationem meriti; ve-

rum permittendo actiones inhonestas fieri a natura sibi hypostatice unita, voluntate divina consentiret in actiones essentiali suae bonitati ac sanctitati repugnantes, easque produceret ut suas, adeoque peccaret secundum se, quod omnino repugnat.

Quaeres 13. *Utrum fuerit in Christo fomes peccati?*

Resp. Non fuit: quia fomes peccati oritur a peccato originali, quod Christus nec contraxit, nec debitum habuit contrahendi, cum non descenderit ab Adamo via ordinaria. Hinc in quinta Synodo anathematizantur, qui, cum Theodoro Mopsuesteno, dicebant Christum fuisse motibus concupiscentiae obnoxium.

Objicies. Christus, *Hebraeor. 4.* dicitur: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*. Ergo tentatus fuit a fomite peccati.

Resp. Dist. ant. Tentatus fuit, tentatione extrinseca, v. gr. a diabolo, *conc.* tentatione intrinseca, quae est a fomite peccati, *nego ant.* Fuit ergo tentatus experientia malorum quibus obnoxii sumus, hoc autem absque peccato, et iis quae sunt, vel effectus, vel causae peccati.

Quaeres 14. *Utrum in Christo fuerint animae passionibus?*

Resp. affirmative. Nam in eo fuit tristitia, *Matth. 26. Tristis est anima mea usque ad mortem*. Fuit amor, *Joan. 11. Domine, ecce quem amas; infirmatur*. Fuit timor, *Marci 14. Coepit pavere et taedere; &c.* Ratio est, quia passiones sunt connaturales appetitui sensitivi perfectiones, quae nec dedecent naturam humanam Verbo hypostatice unitam; nec statui beatitudinis repugnant.

Quaeres 15. *Utrum passiones in Christo nostris passionibus fuerint similes?*

Resp. Fuerunt similes quoad substantiam, quia fuit homo nobis consubstantialis. Non fuerunt similes quoad modum; 1. Quia passiones in nobis plerumque feruntur ad illicita, quod non fuit in Christo. 2. Quia fre-

quenter in nobis praeveniunt iudicium rationis, sed in Christo semper oriebantur secundum dispositionem rationis. 3. In nobis saepe trahunt ac perturbant rationem, quod in Christo non fuit. Ita D. Thom. q. 15. art. 4.

QUESTIO II.

De unione hypostatica.

Quaeres 1. *Utrum unio hypostatica sit idem cum productione humanitatis Christi?*

Resp. negat. Nam productio humanitatis Christi, cum sit opus ad extra, est actio toti Trinitati communis, unio vero solius est Verbi divini; ergo illae duae actiones sunt realiter distinctae.

Objicies 1. Leo Mag. Epist. 2. dicit: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, postea assumere- tur, sed ut ipsa assumptione crearetur.* Ergo.

Resp. Nego conseq. Nam his verbis S. Leo docet concomitantiam, non vero identitatem duplicis illius actionis, ut inde refelleret Nestorium, qui contendebat humanitatem Christi aliquo tempore realiter fuisse sine unione cum Verbo; ex quo concludebat B. V. M. esse quidem Christi-param, non vero Deiparam.

Objicies 2. Maria Virgo est vere Mater Dei: atqui non est vere Mater Dei, nisi actio humanitatis productiva sit eadem ac actio unitiva humanitatis ejusdem cum Verbo: ergo.

Resp. Nego min. Nam ut B. V. M. vere sit Mater Dei, sufficit ut ejus actio generativa, terminata fuerit ad humanitatem eodem instanti assumptam, licet forte in posteriori naturae.

Quaeres 2. *Utrum unio hypostatica sit entitas realiter distincta a Verbo et humanitate unitis?*

Resp. Non est: sive illa entitas sit qualitas supernaturalis absoluta, ut voluit Gabriel: sive sit relatio realis humanitatis ad Verbum, ut voluit Scotus: sive

sit entitas modalis a Verbo et humanitate realiter distincta, ut voluit Suarez. 1. Quia non potest admitti entitas copulans humanitatem cum Verbo divino, quin recipiatur tum in Verbo, tum in humanitate; atqui illa non potest recipi in Verbo, alias mutaretur: ergo. 2. Quia si unio hypostatica sit entitas realiter ab extremis distincta, debet admitti secunda entitas, per quam prima uniatur, et tertia per quam uniatur secunda, et sic in infinitum; atqui ille in infinitum processus repugnat; ergo, &c.

Objicies 1. Humanitas Christi ad unionem erat indifferens; ergo debuit per aliquid reale superadditum determinari.

Resp. Nego conseq. Nam indifferentia unibilium tollitur per accessionem unius ad aliud; et ideo indifferentia humanitatis Christi ad sui unionem cum Verbo fuit sublata per actionem qua Verbum illi suum esse divinum communicavit.

Objicies 2. D. Thom. 3. p. q. 2. art. 7. dicit: *Unio est relatio quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei:* ergo ipsamet unio est relatio.

Resp. Dist. conseq. Unio, sumpta pro mutua habitudine quae oritur ex conjunctione humanitatis et Verbi, conc. sumpta pro formali humanitatis et Verbi vinculo, *nego conseq.* Ita Cajetanus D. Thomam interpretatur.

Quaeres 3. *Quid sit ergo unio hypostatica?*

Resp. Nihil aliud est, quam communicatio divini esse, a Verbo facta humanitati, eam transferendo in suam propriam subsistentiam; nam, posita illa communicatione, concipi et exponi possunt omnia Incarnationis mysteria, ut probavimus Tomo I.

Quaeres 4. *Quinam erraverunt circa modum quo facta est unio hypostatica?*

Resp. Erraverunt Nestorius, Patriarcha Constantinopolitanus, et Eutyches, Constantinopoli Abbas.

1. Nestorius docuit unionem Verbi divini cum humanitate, non fuisse factam in persona, et ideo non fuisse physicam, substantialem et hypostaticam, sed moralem tantum et accidentalem, qualis reperitur inter Deum et templum in quo habitat: ex qua doctrina

Sequitur 1. Duas esse in Christo personas, divinam nempe et humanam.

Sequitur 2. Verbum assumpsisse hominem, tum natura, tum persona perfectum, qui primum in utero B. Mariae Virginis formatus, postea ad unionem cum Verbo assumptus est; ex quo necessario sequitur, Christum non esse vere Deum, et B. V. Mariam non esse Matrem Dei, sed tantum Christi.

Sequitur 3. Admitti non debere realem idiomatum communicationem, qua utriusque naturae proprietates de se invicem praedicarentur in Christo.

2. Eutyches docuit ante unionem duas fuisse in Christo naturas realiter distinctas, divinam scilicet et humanam; post unionem vero unam tantum remansisse: sive quia natura humana coarsa est in divinam, a qua penitus absorpta est; sive quia ex duabus naturis confusis et permixtis, conflata est una tertia natura a duabus distincta, sicut mixtum ex elementis substantialiter transmutatis producitur.

Quaeres 5. *Utrum unio Verbi facta sit in unitate personae?*

Resp. affirm. Nam 1. Scriptura aperte docet, unam eundemque Christum esse Deum et hominem. Rom. 9. *Israelitae... ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus.* Philip. 2. *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, &c.* Ergo si unus et idem est homo et Deus, non duae, sed una est in Christo persona, particula enim, *qui*, in his textibus designat personam. 2. Conc. Ephesinum sic

definit: *Si quis non confiteatur Dei Verbum carni secundum hypostasim unitum, et unum tantum cum sua carne Christum, eundem nimirum Deum simul et hominem, anathema sit.* 3. Duae naturae formaliter ab invicem distinctae, de se invicem substantive et in concreto praedicari non possunt, nisi uniantur in persona: atqui natura divina et humana formaliter ab invicem in Christo distinctae, de se invicem substantive et in concreto praedicantur: dicitur enim, *Deus est homo, homo est Deus; ergo &c.*

Objicies 1. Humanitas Christi vocatur templum divinitatis: Joan. 2. *Solvite templum hoc, &c.*; ergo diversa est persona Verbi et humanitatis.

Resp. Dist. ant. Vocatur templum improprie, *con-* proprie, *nego ant.* Itaque Verbum dicitur inhabitare humanitatem, metaphorice, eodem nempe modo, quo anima nostra dicitur inhabitare corpus nostrum, 1. Cor. 5. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, &c.* Attamen non licet inferre in homine duas esse personas.

Objicies 2. SS. Patres Christum vocant, *Hominem deiferum, deificatum, dominicum, divinitatis templum, divinitatis instrumentum*; atqui illae omnes loquendi formulae indicant unionem duntaxat moralem inter utramque in Christo naturam; ergo, &c.

Resp. Nego min. Illi enim termini indifferentes sunt ad exprimendam unionem moralem tantum, vel physicam et substantialem; personarum ergo loquentium mens, scopus, et circumstantiae accurate pensandae sunt, ut genuinus verborum illorum sensus habeatur. Christus ergo a Patribus dicitur, *deifer, deificus, dominicus*, quia Deum sibi hypostatice unitum defert. Vocatur, *templum divinitatis*, substantialiter et hypostatice inhabitantis. Vocatur, *instrumentum divinitatis*, sed conjunctum, pertinens ad unitatem personae.

Quaeres 6. *Utrum B. V. Maria vere et proprie sit Mater Dei?*

Resp. affirm. Nam genuit Filium Dei, Lucae 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei;* ergo est vere et proprie Mater Dei, prout definitum est in Concil. Ephesino contra Nestorium, his verbis. *Siquis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem), anathema sit.*

Objicies 1. B. V. Maria non genuit divinitatem: ergo.

Resp. Neg. conseq. Nam ut B. V. Maria sit Mater Dei, sufficit quod eum genuerit, qui non prius homo quam Deus extitit, eodem fere modo, quo, ut mulier aliqua vere dicatur mater hominis corpore et anima constantis, non opus est ut animam ipsam genuerit, sed sufficit, ut eum genuerit, qui anima praeditus est.

Objicies 2. Mater debet esse ejusdem naturae cum Deo; atqui B. V. Maria non est ejusdem naturae cum Deo; ergo.

Resp. Nego maj. Nam, ut B. V. Maria dicatur et sit Mater Dei, sufficit, ut ejus partus ad suppositum divinum terminatus sit.

Quaeres 7. *Utrum unio Verbi incarnati facta fuerit in unitate naturae, ita ut unica sit in Christo natura?*

Resp. negat. Quia Christus non potest esse Deus et homo, quia in eo sit utraque natura divina et humana, non confusa et permixta, sed omnino distincta; atqui Christus est verus Deus, Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Est etiam verus homo, Joan. 8. *Queritis me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis.* Ergo. . . . Hinc Concil. Chalcedonense definit, *Christum esse Deum verum, et hominem verum; consubstantiali Patri secundum deitatem, consubstantiali nobis secundum humanitatem. . . . unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum in duabus naturis inconfuse, incommunicabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.*

Objicies 1. Julius S. P. *epist. ad Dionysium*, dicit: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare.* Et D. Gregor. Thaumaturgus, in exposit. fidei: *Non duae personae, inquit, neque duae naturae, non enim quatuor nos adorare dicimus.* Ergo.

Resp. Quod illa scripta falso ab Eutychanis adscribantur illis Patribus, ut probat Leontius, *Bibl. PP. Tom. 9. p. 707. G.*

Objicies 2. Div. Cyrillus, *Epist. 1. ad Successum*, negat duarum naturarum distinctionem post unionem: *Post unionem, inquit, naturas easdem a se mutuo non dividimus.*

Resp. Nego ant. Non enim negat distinctionem naturarum, sed negat tantum earum divisionem et separationem, quia nimirum in unitate personae adunantur.

Inst. Idem Epist. 2. docet duas naturas in Christo *sola mentis consideratione distingui;* ergo non sunt distinctae realiter.

Resp. Nego conseq. Nam utitur verbo *distingui*, pro verbo, *dividi et separari*, quod patet ex eo quod in exemplum distinctionis de quo agit, profert unionem animae cum corpore, quae licet distincta sint, non sunt tamen separata.

Objicies 3. S. Athanas. in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Atqui anima et corpus in unam hominis naturam coalescunt; ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam in eo tantum valet comparatio a D. Athanasio allata, quod sicut ex unione animae et corporis, una resultat hominis persona, ita et in Christo ex utriusque naturae unione.

Quaeres 8. *Utrum unio hypostatica sit quid creatum?*

Resp. Est quid creatum, non *stricto*, quatenus creatio dicitur productio rei ex nihilo, sed *late*, quatenus sumitur pro actione qua aliquid fit, quod ante non erat: ratio est, quia incarnatio facta est in tempore.

Quaeres 9. *Utrum unio hypostatica sit substantialis?*
Resp. affirm. Ut probavimus contra Nestorium.

Quaeres 10. *Utrum unio hypostatica sit supernaturalis?*

Resp. affirm. Nam ad esse personale cum Deo at-
 tolli, est naturae creatae prorsus indebitum, omnemque
 illius exigentiam superat.

Obijcies. SS. Patres et Concilia docent unionem hy-
 postaticam esse naturalem.

Resp. Tò, naturalem, opponunt ficto et umbratili; non
 vero opponunt gratuito beneficio.

Quaeres 11. *Utrum unio hypostatica sit indissolubilis?*

Resp. affirm. Nam, Joan. 12. *Christus manet in ae-*
ternum; et Hebr. 13. *Christus heri et hodie, ipse et in*
saecula. Unde axioma theologicum, *Quòd semel Ver-*
bum assumpsit, nunquam dimisit. Ergo in triduo mor-
 tis Verbum mansit unitum cum corpore et anima se-
 paratis: sed,

Quaeres 12. *An Sanguis in passione effusus, toto tri-*
duo mortis remanserit Verbo unitus?

Resp. affirm. Nam 1. fuit pars naturae humanae in-
 tegrans, in resurrectione reassumenda. 2. Si in triduo
 mortis Calix fuisset consecratus, Verbum per concomi-
 tantiam fuisset sub speciebus vini, juxta illud Joan. 6.
Qui bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.

Quaeres 13. *Utrum totus Sanguis in Passione effu-*
sus, reassumptus fuerit a Verbo in resurrectione?

Resp. Reassumptus fuit totus moraliter, id est, quoad
 maximam partem; sed probabile est quod non fuerit
 reassumptus totus physice; nam in linteaminibus, lan-
 cea, corona spinea, &c. remanserunt maculae sangui-
 nae, quae certe non fuerunt purus color, cum colores
 non sint activi, nec aliter communicentur, quam per
 adhaerentiam substantiae coloratae.

Quaeres 14. *Utrum ex unione hypostatica Verbi cum*
humanitate sequatur, personam Christi esse compositam?

Resp. 1. Non est composita compositione, ex his.
 Nam omnis compositio ex his, fit ex partibus proprie
 dictis; atqui natura divina in Christo non potest ha-
 bere rationem partis proprie dictae: alias esset ens in-
 completum dicens ordinem ad suam compartem, ut ab
 ipsa compleatur; ergo, &c.

Resp. 2. Est vere et proprie composita compositione
 cum his. Nam compositio cum his, nihil aliud est, quam
 realis extremorum realiter distinctorum conjunctio ad
 constituendum unum per se; atqui in Christo talis est
 conjunctio; ergo. Unde Concil. generale V. anathema
 dicit ei, qui non confitetur unam ejus (Christi) substan-
 tiam compositam: nimirum ex duabus naturis.

Quaeres 15. *Utrum ex unione hypostatica sequatur*
communicatio idiomatum in Christo?

Nota. Communicatio idiomatum fieri potest in con-
 creto, vel in abstracto. *Fit in concreto,* quando funda-
 tur in unitate personae, quia concreta supponunt pro
 persona, unde sensus hujus propositionis: *Deus est ho-*
mo, hic est, *persona habens divinitatem, est persona ha-*
bens humanitatem. Econtra *fit in abstracto,* quando fun-
 datur in communicatione proprietatum divinitatis pro-
 priarum facta humanitati, v. gr. *Humanitas est im-*
mensa, est ubique. Hanc admittant Lutherani, Ubiquis-
 tae. His notatis:

Resp. 1. Datur in Christo vera et realis communi-
 catio idiomatum in concreto. Nam 1. Scriptura humani-
 tati in concreto tribuit ea quae divinitatis sunt propria,
 v. gr. descensum de coelo, et existentiam in coelo dum
 Christus in terra degeret, Joan. 3. et vicissim divini-
 tati in concreto tribuit ea quae solius humanitatis pro-
 pria sunt, v. g. mortem, Act. 3. *Auctorem vitae inter-*
fecistis. Unde in Symbolis fidei, Deus dicitur pro no-
 bis, *pessus, mortuus, ac sepultus.* . . . 2. Nomina concre-
 ta supponunt pro eodem in recto, nempe pro supposito;
 ergo de se invicem possunt praedicari.

Nec dicas, haec propositio, *unus de trinitate passus est*, fuit damnata a Felice III. S. P. *Respond.* enim quod non fuerit damnata in sensu obvio, in quo est vera et catholica, sed damnata fuit in sensu Petri Gnaphaei et aliorum Eutyechianorum, qui cum docerent divinitatem solam, humanitate penitus absorpta, remansisse in Christo, existimabant divinitatem carni factam consubstantialem, vere passam esse, quod est haereticum.

Resp. 2. Non datur in Christo communicatio idiomatum in abstracto, ut fides docet contra Eutyechianos, Ubiquistas. Nam quae realiter a se invicem distinguuntur, non possunt de se invicem praedicari, nisi in aliquo communi subjecto, seu supposito uniantur; atqui duae naturae in Christo et earundem proprietates realiter distinguuntur, nec in ullo communi subjecto uniantur, quando considerantur in abstracto; ergo. Unde de humanitate Christi dicitur Math. ult. *Non est hic, surrexit enim, &c.*

Obijcies 1. Quando duo inseparabiliter uniantur, ubicumque unum illorum est, ibi debet esse et alterum; atqui Verbum et humanitas inseparabiliter uniantur, et Verbum est ubique: ergo humanitas Christi est ubique.

Resp. Dist. maj. Si haec duo uniantur adaequate et totaliter, *conc. inadaequate, nego maj.* Sic quia humanitas Christi non adaequat immensitatem Verbi, ideo ubi illa reperitur, reperitur etiam Verbum: sed non ubicumque est Verbum, est etiam humanitas.

Obijcies 2. Haec propositio est vera: *Christus, seu, hic homo, qui est Christus, est ubique*: ergo et ista: *Christus, ut homo, est ubique*.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod in prima prop. *homo*, supponit pro supposito, quod est immensum et ubique; in secunda vero, *homo*, propter particulam *ut*, supponit pro sola humanitate, quae, cum sit finita, non potest esse ubique.

DISSERTATIO II.

De termino totali Incarnationis, seu de Christo.

Nota. In Christo perpendi possunt: scientia; gratia; dona ac virtutes; libertas; meritum; satisfactio; varii tituli ac officia; adoratio ipsi debita, et tandem Mater.

CAPUT I.

De scientia Christi.

Quaeres 1. *Utrum fuerit in Christo scientia creata?*

Resp. affirm. Nam anima rationalis in Christo non fuit sine sua propria operatione, alias fuisset imperfecta, utpote frustrata sine propter quem est: atqui propria animae rationalis operatio est cognitio et scientia; ergo.

Obijcies. Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora; ergo, cum Christus omnia cognoverit per scientiam divinam, scientia creata fuit inutilis.

Resp. Dist. ant. Quando fit per eandem facultatem, *conc.* quando fit per diversas facultates, *nego ant.*

Quaeres 2. *Quotuplex sit scientia creata?*

Resp. Triplex, scilicet, *beatifica*, quae in clara Dei visione posita est. *Infusa*, quae a Deo liberaliter infunditur, absque ullo humanitatis actu. Et *Acquisita*, quae propriis naturae viribus, successu temporis, comparatur.

Quaeres 3. *Utrum Christus, ut homo, habuerit scientiam beatificam?*

Resp. affirm. Nam Christus, Joan. 8. dicit: *Si dixerō quoniam nescio eum, (Patrem), ero similis vobis mendax; sed scio eum et sermonem ejus servo*: hic Christus loquitur de seipso ut homo est, ut probant haec verba: